

1344

1624, 4

114

POSITIONES
DE
DELICTIS
PRIVATIS,

Quas
Divinâ favente Gratiâ

Authoritate & Consensu

Nobilissimi Collegii Juridici

in Inclyta Academia JENENSI

SUB PRÆSIDIO

Magnifici, Amplissimi & Consultissimi Viri

Dn.

ORTOLPHI FOMANNI JCTi,

in Illustri Salana Antecessoris, Nobilissimæ

Facultatis Juridicæ Professoris & Ordinarii, nec non

Dicasterii Provincialis, & Scabinatus Assessoris ibidem

Primarii, Dn. Promotoris, Præceptoris,

ac Hospitis sui colendis.

Publicæ censure subjicit

HENRICH RÖSSLER

Brigens. Sil.

ad d. 30. Septembr.

In Auditorio Jctorum

ANNO MDCXXIV.

LITERIS

JOHANNIS BEITHMANNI.



177

POSITIONES

DE

DELLICTIS

PRIVATIS

DE

Divina favente Gratia

Auctoritate & Consensu

Nobilissimi Collegii Juridici

in Urbis Altonaensis

et

Magnifico, Nobilissimo & Reverendissimo

DOCTORI

ORTOLPHI TOMANNI

in Illustri Salanae Auctoritate, Nobilissimi

Facultatis Juridicae Professoris & Ordinarii

Disertissimi Praeceptoris & Socii

in Urbis Altonaensis

Publicae Professurae

HENRICH RÖSNER

Magistri

in Altona

ANNO MDCCLXXV

LITTERIS

JOHANNIS BEITHMANNI



D E
DELICTIS PRIVATIS
POSITIO

I.



Um omnis qua de re ali-
qua instituitur tractatio,
debeat à definitione profi-
cisci, ut scilicet intelligatur
quid res sit, qua de agi-
tur; & nos opera pretium
duximus generalem prius
delictorum descriptionem premittere.

II.

Est igitur Delictum offensio contra jus
illata, utilitatem vel publicam vel privatam
impugnans.

III.

Hinc & Delictum aliud Publicum aliud
Privatum esse rectè asseritur.

IV.

Delictum Publicum est, quod offendit
rem & utilitatem publicam.

A 2

V.

V.

Dicitur ita, quod cuius ex populo execu-
tio ejus plerumq; datur, & ex legibus publi-
corum judiciorum venit.

VI.

Delictum Privatum est, quando pri-
vata alicujus utilitas leditur.

VII.

Ejusmodi quatuor vulgò numerari De-
licta in propatulo est: & sunt Furtum, Ra-
pina, Damnum, & Injuria, quorum omnium
frequentissimum est Furtum.

VIII.

Furtum est contrectatio fraudulosa, lu-
cri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam
usus ejus, possessionisve; quod lege naturali
prohibitum est admittere.

IX.

Contrectatio illa fieri potest re tam loco-
motà, quam non motà, semperq; est in re cor-
porali & quidem mobili.

X.

Nudà tamen voluntate non fit furtum,
sed corpore & animo simul. Hinc etiam illi
quorum

quorum non est voluntas, ut furiosi, infantes &c. in quos dolus non cadit, furtum non faciunt.

XI.

Quod si verò mandato & consilio alicujus furtum factum fuerit, si id effectum habuerit, & ipse actione furti tenebitur.

XII.

Furtum duplex est, Manifestum & Nec manifestum.

XIII.

Illud est, quando fur apprehenditur aut in ipso furto, aut in loco adhuc in quo furtum commisit, aut cum ipsa re furtiva, antequam eò perveniat quò destinavit.

XIV.

Hoc ex manifesti naturâ tanquam contrarium ex contrarii sui definitione facile intelligetur.

XV.

Distingui aliàs quoq; solet furtum ex adjunctis: quod aliud sit Conceptum aliud Oblatum: Item ex tempore quod aliud sit Diurnum aliud Nocturnum, hoc gravius

A 3

&

Et atrocius, illud levius, de quibus consulan-
tantur fragmenta XII. tab.

XVI.

Occasione posterioris distinctionis qua-
stionem illam utilem ac penè quotidianam in-
seremus: Utrum scilicet furem in ipso furto
deprehensum impunè occidere liceat? Distin-
guunt alii inter Furem Nocturnum Et Diur-
num; Illum impunè occidi posse statuentes,
hunc minimè: Alii rursus aliter.

XVII.

Nos salvo illorum iudicio nunquam hoc
impunè fieri posse arbitramur, nisi cum simul
periculum corporis adsit, resq; nostras aliter
retinere non possimus.

XVIII.

Actiones adversus fures olim de Jure
Civili varia fuere constitutæ, Et sunt vel rei
vel pœnæ persecutoria.

XIX.

Rei persecutoria sunt Actio ad exhiben-
dum, Rei vindicatio, Condictio furtiva,
Et hæc quidem neminem infamiâ notant.

XX.

XX.

Actiones verò pœna persecutoria aut Ordinaria sunt, ut in furto Manifesto quadruplum, in Nec manifesto duplum reddatur: Aut Extraordinaria: Utraq; maculam infamiae irrogat.

XXI.

Hæc tamen posterior quoq; Actio Constitutione Friderici Imperatoris Ordinaria facta est: ut si quis quinq; solidos, quorum appellatione nos aureos Hungaricos optimos intelligimus, aut plus fuerit furatus, laqueo suspendatur.

XXII.

Quam pœnam etsi duram, quia universali Germania Consuetudine etiam extra casum à Friderico decisum ferè est recepta, merito & nos probamus & legibus patriis subscribimus.

XXIII.

Maximà tamen hîc cautione opus, ne promiscuè ob quodlibet furtum gravissima ista pœna dictetur, quod tamen ab imperitis sæpè iudicibus fieri assolet.

XXIV.

XXIV.

Quaritur ergò utrum ob unicum simplex furtum magnum quod vocant, pœna ista à Judice imponi debeat? Negantium castra non inviti ingredimur.

XXV.

An & furta tria distincta qua regulariter exiguntur etiam in diversis territoriis perpetrata computari debeant, ex Controversis admodum controversum est? Affirmandum hoc esse non quidem sine ratione concludimus.

XXVI.

Agmen claudat vexata quaestio, utrum fur laqueo rupto vivus in terram decidens, iterum suspendi debeat? Affirmantium argumenta tanti non sunt, ut iisdem calculum nostrum adjiciamus.

XXVII.

Furto Rapina maximè similis est, & altera quasi species furti in genere sic dicti, quippè & aliàs furtum improbius indigetatur: Non incommodè igitur alterum inter privata delicta obtinet locum.

XXVIII.

XXVIII.

Rapina duplex est: Personarum & Re-
rum.

XXIX.

Personarum propriè dicitur Raptus, ut
raptus virginis, vidua, vel sanctimonialis,
vel alterius cuiusdam, de quo nos hic non agi-
mus: Rerum verò propriè est Rapina.

XXX.

Res sunt vel Corporales seu mobiles; vel
Incorporales seu immobiles. Rerum incor-
poralium & immobilium sive soli rapina ma-
gis speciali nomine Invasio dicitur.

XXXI.

Propriè igitur tantum rerum mobilium
& corporalium est Rapina.

XXXII.

Et definitur violenta & fraudulosa rei
ablatio.

XXXIII.

Utrumq; igitur concurrere in hoc delicto
debet & licet vis fiat, modo dolus absit, ra-
pina tamen non est.

B

XXXIV.

• XXXIV.

Ne tamen quilibet raptores pratexerent, se justo errore fecisse: justissima poena in tales ab Imperatoribus constituta fuit.

XXXV.

Qui enim rem suam rapit, ejus dominio cadit: qui rem non suam eripuit adversus eum datur actio vi bonorum raptorum, intra annum quidem in quadruplum, post annum in simplum.

XXXVI.

Potest etiam raptor aliis quibusdam actionibus, tam Civilibus quam Criminalibus conveniri, non tantum à domino, in cujus bonis res fuit; sed etiam ex cujus bonis fuit; vel ab eo, cujus interest rem non esse raptam.

XXXVII.

Explicatâ materiâ furti tam simplicis quam atrocioris, succedit Injuria, qua vel Damni est, vel Contumelia.

XXXVIII.

Injuria Damni est delictum quo quis dolo vel culpa servum aut quadrupedem alte-

rims

rius occidit, vulneravit, vel alio modo res ejus
fregit, ussit, laesit, aut rupit.

XXXIX.

Ad hoc verò damnum resarciendum
proditæ est Actio legis Aquilia, cujus tria sunt
capita, quorum primo de occiso homine, qua-
drupede vè, tertio de vulnerato, Et quovis da-
mno, quod primo non erat comprehensum,
cavetur: Secundum caput etiam antiquis in
usu non fuit.

XL.

Ex primo capite hujus legis datur actio
Directa domino: Utilis etiam aliis adver-
sus culpà damnum dantem, ut nimirum ad
estimationem illius rei teneatur, quanti in eo
anno plurimi fuerit. Datur autem in con-
fitentem in simplum, In negantem verò in
duplum propter mendacium.

XLI.

Ex tertio verò capite tanti lis estima-
tur, quanti diebus triginta proximis plurimi

B 2

res

res fuerit, & locum hic etiam habet Directa
& utilis actio.

XLII.

Sciendum autem hic nos vocabulo Inju-
ria in hac materia generaliter uti pro eo quod
nullo jure illatum est, quodq; caveri vel po-
tuit vel debuit.

XLIII.

Pœnam igitur legis Aquilia sustinere
non potest, qui provocatus demum damnum
dedit, vel qui vim vi repulit, & aggresso-
rem servato tamen moderamine Inculpata
Tutela, interfecit.

XLIV.

Injuriâ Damni pertractatâ: sequitur ul-
timo loco Injuria Contumelia.

XLV.

Est autem ea delictum privatum dolo
malo in alterius contumeliam commis-
sum.

XLVI.

XLVI.

Committitur id ipsum Re vel Verbis, ex quo & Injuria alia Realis alia Verbalis est.

XLVII.

Realis est, quæ in corpus alterius & suum vel alienum committitur re & facto.

XLVIII.

Verbalis Injuria fit vel Voce vel Scripto.

XLIX.

Voce Injuria fit quando quis voces contumeliosas in aliquem profert animo injuriandi.

L.

Scripto infertur Injuria cum verba quidem contumeliosa ore non proferuntur: Sed tamen quoquo modo aut scribuntur, aut producuntur.

LI.

Porro omnis Injuria atrox est aut levis. Atrocitas verò ista estimatur potissimum ex facto, loco & persona.

B 3

LII.

LII.

Et indubio omnis Injuria dolo malo & animo injuriandi facta praesumitur nisi contrarium probetur, aut circumstantia aliud suadeant.

LIII.

Igitur excusationem merentur Impubes doli mali incapax, furiosus, ebrius, dormiens.

LIV.

De Injuria verò omni sive Verbali, sive Reali, sive Atroci, sive Levis qui eam passus est agere potest & Civiliter & Criminaliter.

LV.

Civiliter quando actor Injuriam aestimat, sibiq; pœnam applicari petit.

LVI.

Criminaliter intenditur, cum pœna petitur infligi corpori injuriantis, vel inferri fisco.

LVII.

His duabus actionibus accessit usus ac consuetudine

suetudine Actio ad Palinodiam siue ad recan-
tationem injuriarum, quæ & hodiè constitutio-
ne Imperatoriâ comprobata est.

LVIII.

Utrum autem hac Actio Civilis sit aut
Criminalis contentiosè disputatur? Civilem
asserentibus astipulamur.

LIX.

Deniq; Actio Injuriarum lapsu unius an-
ni & quidem utilis expirat.

LX.

Sunt & alii modi quibus tollitur, utpote
Remissione, Transactione, Dissimulatione
&c. qui videantur in disputatione Inst. Ma-
gnif. & Consult. Dn. Præsidis 27.

thes. 17. & seq.



COROLLARIA

παρεργῶς ADJECTA.

I.

Utrum Feudum in dotem dari possit?

II.

Utrum mulier beneficio S^Cti Vellej. renunciare possit?

III.

Utrum reus, si ob defectum probationis sit absolvendus, definitivè, an tantùm ab observatione judicii absolvi debeat?

IV.

Utrum Judex secundum acta & probata, an secundum scientiam judicare debeat?

V.

Utrum ut olim, ita & hodiè Princeps sit legibus solutus?

VI.


Utrum Princeps Antecessoris sui facta adimplere & approbare cogatur?

F I N I S.

ULB Halle

3

005 132 665



V017







1344

POSITIONES
DE
DELICTIS
PRIVATIS,

1624, 4

14

Quas
Divinâ favente Gratiâ

Authoritate & Consensu
Nobilissimi Collegii Juridici
in Inclÿta Academia JENENSI
SUB PRÆSIDIO
Magnifici, Amplissimi & Consultissimi Viri
Dn.

ORTOLPHI FOMANNI Jcti,
in Illustri Salana Antecessoris, Nobilissimæ
Facultatis Juridicæ Professoris & Ordinarii, nec non
Dicasterii Provincialis, & Scabinatus Assessoris ibidem
Primarii, Dn. Promotoris, Præceptoris,
ac Hospitis sui colendis.

Publicæ censuræ subjicit

HENRICH RÖSSLER

Brigens. Sil.

ad d. 30. Septembr.

In Auditorio Jctorum

ANNO MDCXXIV.

LITERIS

JOHANNIS BEITHMANNI.

